

M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA
Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08
Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT
Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

DE RE ET SPECIE




Urbis magister monumentum de-
tegit; est monolithus ex lapide
duro cinereoque fluminis Tarnis,
cuius in latere polito infixum est
hemisphaerium ex marmore albo
Carariensi, quo fingitur globus
terrestris, atque incisa est inscrip-
tio Latina, quae in imagine su-
biuncta legi potest. Paucis verbis
sub divo palam dictis, urbis magis-
ter praesentes invitatur ad caerimo-
niam sub tecto in curia pergen-
dam.

Omnes iterum conveniunt in
maximam curiae exedram laute
ornatam duabusque magnis tabulis pictis illustra-
tam, quibus finguntur duo clarissimi Palenses,

Pali (v. Pau) in urbe Aquitaniae sub mon-
tibus Pyrenaeis sita die 7 m. Ianuarii sol-
lemniter inauguratum est monumentum
in honorem linguae Latinae erectum. Quantum
miraculum nostris temporibus!

Quo Lunae die infeliciter pluit... Hora circiter
duodecima actores et spectatores sub umbellis
properant in pulchrum viridarium Beaumont
unde, dum caelum sit serenum, patet ingens miri-
ficusque prospectus in summos montes Pyrenaeos
nive splendentes.

Semitam de Anna de Noailles nominatam in-
gredimur ad quam positum est monumentum; velo
bicolori caeruleo flavoque nunc obtegitur. Iam
adest urbis magister Dominus Labarrère. Collo-
quitur cum Domina Genovefa Immé et cum Anto-
nini Immé filia filioque, qui Roma advenerunt.
Propter pluviam caerimonia in viridario breviatur.



unus Henricus IV rex Francogalliae, alter marescalcus Bernadotte, quondam Carolus XIV rex Suetiae factus.

Hyalii pleni vini candidi de vicino oppido Jurançon appositi sunt, sed antequam eos gulose exhaurire liceat, orationes sunt auscultandae Francogallice prolatae.

Primus loquitur urbis magister. Narrat se olim in universitate Sorbonica examen Latinum superavisse sed iam diu omnium oblitum esse. «Ignarus sum, ait, ignarus, ignarus omnium rerum! Quasi sit eius praeconium electorale! His paucis proclamatis, legit textum orationis Pauli Guth, qui caerimoniae praesedisset nisi propter recentem sectionem chirurgicam impeditus esset. Paulus Guth est praeclarus scriptor Francogallus, octoginta circiter annos natus, qui olim linguam Latinam docuit atque institutioni Latinae favere numquam desiit. In magnifica oratione sua Genovefam Immé laudat commemoratque Antoninum Immé sententiam Latinam in monumento incisam excogitavisse.

Deinde ego verba facio nomine illorum extraneorum Latinitatis amicorum, praecipue septentrionalium, qui interesse non potuerunt. Inter alia urbis magistro dico, cum sit socialista, socialismum nullo modo repugnare linguae Latinae atque memoro famosum socialistam Iohannem Jaurès thesin Latine conscripsisse c. t. «De primis socialismi Germanici lineamentis apud Lutherum, Kant, Fichte et Hegel.»

Denique Genovefa Immé diserte, laute nec non iocose gratias agit urbis magistro aedilibusque, multas graves sententias intermiscens.

Haec fuit rei species. Re vera Genovefa Immé permultis epistulis rogationibusque urbis magistrum diu obruit sed inane, cum Latinitatem flocci faciat. Nisi Paulus Guth Genovefae Immé amicali-

ter subvenisset magistrumque urbis ipse admonuisset, numquam monumentum exstructum esset.


Sic in rebus Latinis plerumque discrepat inter species et res. Consociatio c. n. Vita Latina tantum speciem Latinitatis vivae praebet; re vera de mortua tractat. Academia Latina «linguae litterisque Latinis fovendis» proximum conventum universum in Belgio habebit, ubi acroases fient sermone vernaculo! Praestantissimi huius academiae sodales lamentantur atque dolent quod Academia a scopo suo avertitur sed dicunt se obstare non posse! Ubi es virtus Romana? Caveant docentes ne pereat lingua Latina. Eorum munus est et penitus linguam Latinam noscere et eam quam saepissime adhibere ut palam demonstrant rem et fieri posse et perutilem esse. Et res certe fieri potest. Mihi noti sunt homines et academici professores etiam iuniores qui omnia verbis Latinis exprimere valeant, non sine subtilibus coloribus. Hoc pendet ab animo, a voluntate, a fide... Nostro saeculo apud gentes arabizatas usus radiophonicus linguae Arabicae classicae ita restitutus est ut Gamali Nasser vel Sadami Hussein verba directe intellegerentur ab ingenti multitudine hominum quorum dialecti inter se differunt in hac vasta orbis terrarum parte quae inter Persiam et oceanum Atlanticum porrigitur.

Intellegamus oportet hoc etiam in orbe terrarum Europaearum necessarium esse si volumus novam animam Europaeam oriri, id quod tamen fieri non poterit sine consensu opibusque publicis. Pauci adhuc homines publici hoc palam ausi sunt proclamare. Modo comperimus inter ultimam Parlamenti Europaei sessionem anni 1990 legatum Francogallum nomine Bruno Gollnisch rationes Latine exposuisse quibus demonstratur necessarius usus linguae Latinae inter gentes

Communitatis Europaeae. Eum statim adiit congratulatum alius legatus, Otto de Habsbourg, qui iam antea idem proposuerat.

Sed non eadem est mens omnium legatorum, ut patet ex iocosa, Latina tamen, apostropha cuiusdam legati Portugallensis: «Quousque tandem, Gollnisch, abutere patientia nostra?» Mecum respondeant fortiores: «Desinemus numquam!» ■

Gaius LICOPPE



DE MUSEO COLONIENSI

SCRIPSIT VALTHERUS FUCHS

Professori Hellenkemper, Musei Coloniensis directori, gratias agimus plurimas quod benigne permisit ut huic symbolae proximisque edendis adiungerentur photographemata ex archivo Musei excerpta.

NONNULLA DE URBIS COLONIAE CLAUDIAE HISTORIA

Primo a. Chr. n. saeculo in sinistra Rheni fluminis ripa situm erat caput Ubiorum - oppidum Ubiorum - Agrippa curante, genero Augusti futuro, conditum. Incertum est, num anno a. Chr. n. 39-38 an 19-18 sit conditum. Omnibus enim Galliae regionibus a Caesare occupatis Ubii, gens Germanica, e sedibus in Germania sitis expulsa ab Agrippa socii asciti in ripa sinistra sedes novas domiciliaque petentes conseruerunt.

Augustus Germaniam usque ad Albim flumen subactus futurum esse speraverat, ut in Ubiorum regione centrum magnae provinciae Romanae futurae oriretur. Qua de causa sanctuarium centrale in illo oppido Romae Deae colendae genioque Augusti inter annos 12 a. Chr. n. et 9 p. Chr. n. erigendum Romani curaverunt. Pro dolor locus sanctuarii adhuc nondum est repertus. Varo autem anno p. Chr. n. nono devicto inceptisque Augusti ad vana redactis legiones Tiberio imperante ad ripam sinistram inferioris partis Rheni erant reducendae.

In illo oppido Ubiorum sive Ara Ubiorum (Tacitus) non solum Germani, sed etiam Galli vivebant; insuper duae legiones Romanae primo p. Chr. n. saeculo ineunte stationem ibi habebant; anno autem p. Chr. n. circiter 35 ex oppido Ubiorum

Bonnam respective Novaesium sunt translatae.

Superficies illius oppidi centro urbis hodiernae aequabat et quodammodo primaria particula erat urbis nostrae modernae.

Anno p. Chr. n. 50 Claudius imperator Agrippina uxore (in oppido Ubiorum nata) instigante illud oppidum ad municipii iuris Romani dignitatem, i. e. coloniae, extulit eique nomen COLONIA CLAUDIA ARA AGRIPPINENSIVM est inditum. Illa Colonia sedes manebat legati exercitus Romani in Germania Inferiore. Veteranis tamquam colonis Coloniam deductis urbs firmata cultusque humanus civilisque Romanus in regione propagatus est.

Apud Tacitum rerum scriptorem (Ann. XII, 27, 1) legitur haec: *«Sed Agrippina, quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos co-*



Museum Romano-Germanicum Coloniense cum parte ecclesiae cathedralis.

loniamque deducti impetrat; cui nomen inditum e vocabulo ipsius. Ac forte acciderat, ut eam gentem Rhenum transgressam avus Agrippa in fidem acciperet.»

Inter annos 50 et 70 moenia quattuor chiliometra longa e lapidibus sunt erecta; oppidum Ubiorum enim praecursor muro Gallico qui dicitur fuerat munitus.

Illam moenia 19 turribus erant firmata. Itemque

rete viarium rectiangulum est institutum systemaque cloacarum cursum viarum comitans.


Anno circiter p. Chr. n. centesimo aquaeductus centum chiliometra longus urbi aquas recentes e regionibus provinciae ad occasum solis vergentibus adducens est exstructus.

Urbs in regione paululum declivi sita tuta erat a Rheni inundationibus.

Et cardo maximus et decumanus adhuc viae sunt frequentissimae, quae interdum 22 metra erant latae. Thermae, theatra, forum, praetorium, templa multaque alia aedificia publica urbi erant decori.

Ante urbem in fluvio illis temporibus insula erat sita. Pars fluvii inter insulam et urbem praeterfluens portus erat Coloniae et ducentis fere navibus perfugium praebebat.

MONUMENTUM SEPULCRALE PUBLICI



Monumentum sepulcrale Publici.

Monumentum sepulcrale Publici unum ex terrimis est in Museo Romano-Germanico Coloniaensi expositis. Coloniae in antiquitate complura exstabant talia aedificia in coemeteriis secundum vias publicas extra urbem sitis. Inde ab anno a. Chr. n. 450 enim homines mortuos in urbe sepe- liri aut uri non licebat (lex XII tabularum). Illud monumentorum genus similia repetit monumenta in Italia erecta, e.g. Sarsinae et Pompeis; et omnia talia monumenta illud repetunt mausoleum quod dicitur profanatum regis c. n. Mausolus in Asia Minore.

Anno p. Chr. n. 1884, cum moenia Mediae Aeta- tis Coloniae erecta diruerentur, quinquaginta lapi- des illius monumenti sunt effossi; anno p. Chr. n. 1967 eodem loco iterum 50 lapides ad lucem sunt prolati.

Titulus monumenti multum habet difficultatis nonnullis partibus adhuc nondum repertis.

Generatim illud monumentum in honorem L. Publici, uxoris, duorum filiorum, filiolae Paullae exstructum esse putamus. Mirum in modum nomen uxoris deest; aut illa tituli pars amissa aut nondum effossa aut nomen colore parieti illitum imbribus, i.e. caeli asperitate, aut substantiis chemicis soli noxiis dissolutum est.

In ultima tituli linea ex quinque litteris duae sunt adhuc servatae: M et H. Primitus quinque ibi incisae erant litterae: H M H N S: initiales quinque verborum: HOC MONUMENTUM HEREDEM NON SEQUETUR. Apud Petronii Cenam Trimalchionis legitimus haec: «Gratias agere omnes indulgentiae coeperant domini, cum ille oblitus nugarum exem- plar testamenti iussit afferri et totum a primo ad ultimum ingemescente familia recitavit. Respi- ciens deinde Habinnam: «*Quid dicis*» inquit «*amice carissime? Aedificas monumentum meum, que- madmodum te iussi? Valde te rogo, ut secundum pedes statuae meae catellam ponas et coronas et unguenta et Petraitis omnes pugnas, ut mihi contingat tuo beneficio post mortem vivere; praeterea ut sint in fronte pedes centum, in agrum pedes ducenti. Omne genus enim poma volo sint circa cineres meos, et vinearum largiter. Valde enim falsum est vivo quidem domos cultas esse, non curari eas, ubi diutius nobis habitandum est. Et ideo ante omnia adici volo: HOC MONUMENTUM HEREDEM NON SEQUETUR.*» (Petronius, Cena Trimalchionis, cap. LXXI).

Publicio non est cognomen, ergo monumentum primo p. Chr. n. saeculo ineunti est adjudicandum.

Acroteria in parte inferiore tecti squamati Tri- tones repraesentant, deos marinos, Neptuni filios qui animarum ad fortunatorum insulas vehenda- rum erat responsables. Imagines Panis Maena- dumque opere caelato repraesentatae ad cultum Dionysiacum se referunt i.e. ad vitam post mortem.

Acroterium in summo tecto collocatum in initio





Monumentum Poblici: Pan leporem venatus.



Monumentum Poblici: Pan cum fistula.

alterius monumenti pars erat centum circiter annis post exstructi: Aeneam repraesentat cum patre filioque fugientem e Troia ardenti.

Epistylum capitulis compositis sustentatum armis Romanis est exornatum. Non est mentio ordinis militaris; Poblicius miles ergo erat simplex oriundus ex Italia centrali, e tribu Teretina. Viginti annos apud quintam legionem in Germania Inferiore cui nomen erat Alaudae militavit. Post militiam viginti annorum ad quemque veteranorum munus pecuniae pertinebat imperatoris: tredecim stipendiorum.

Poblicium munere exsolutum cum familia in oppidum Ubiorum se contulisse civitatemque ibi acquisivisse magnas divitias sibi congressisse veri-

simile est. Sine magna enim pecunia monumentum sepulchrale talis generis numquam sibi indulgisse potuisset.

Sepulchrum ipsum, i.e. ossa aut cineres, non est repertum. Dona suprema erant modestissima: 4 vasa simplicissima, caccabus, olla, lucerna fictilis! In talibus rebus interpretandis cautio est adhibenda: dona suprema modesta nullo modo semper testimonia sunt paupertatis hominis defuncti.

OPUS MUSIVUM DIONYSI


Bello mundano secundo praeterito in decursu

effossionum ante ecclesiam Coloniae cathedrallem effectarum suffugii antiaerii exstruendi causa admirabilia vestigia operis musivi Romani ad lucem sunt prolata. Agitur de villa Romana tertii p. Chr. n. saeculi ineuntis olim in angulo aquilonio sita cuius superficies 3500 metrorum fuerat quadratorum.

Museum Romano-Germanicum fundamentis illius villae Romanae nititur opusque illud musivum pretiosum tamquam cor complectitur. Varia est historia effossionis conatumque operis musivi conservandi. Adhuc eodem loco situm est, ubi 3 p. Chr. n. saeculo ineunte est positum.

Eodem tempore in villa adiacente opus musivum tripartitum innumerabilibus crucibus gammatis exornatum est effossum.

Architectura et dispositio conclavium generis villarum Graecarum Romanarumque peristyllo exornatarum nobis in memoriam affert: fistulae aquariae ad inducendas et deducendas aquas, instrumenta calefactoria, peristylium columnis circumdatum. Duo tantum conclavia erant calefactabilia. In horto centrali duae erant aquae salientes. Tales villae mirum in modum cellis plerumque carebant; raro tantum tabulata super erant imposita. In duobus illius villae lateribus ad flumen vergentibus cauponae aut officinae erant institutae. Perspicuum est patronum illius domus virum ditissimum fuisse, nam domus maioris partis civium, e.g. habitationes conductae, longe erant modestiores. Totum opus musivum vicenis circiter centenis milibus tesserarum compositum e lapide sectili, calcario, e «terra sigillata» tessellisque vitreis est confectum. Partes artificii laesas nonnullasque imagines iam in antiquitate mediocri modo restitutas esse valde est dolendum. Illae regulae lapticillis carentes - agitur de sexta circiter parte totius operis musivi - arenato coloris neutralis, ut ita dicam, sunt repletae.



Opus musivum Dionysi.

Imagines artificii regulis quadratis octangulisque saepiuntur, secundum operis musivi marginem autem dimidiatis.

Verisimile est artificium a musivariis Coloniensibus aut Trevericis creatum esse.

Illo opere musivo 74 metrorum quadratorum in antiquitate triclinium villae Coloniensis erat exornatum.

In centro deus ipse est repraesentatus nudus, ebrius, satyro nitens. Maximam occupat artificii regulam. Poculum vini e manibus elapsum humi iacet. Circum imaginem centralem comites dei, satyri, maenades, Pan, Silenus, panthera corona ornata, turbo hominum saltantium nervis tibusque cantantium, Eros alatus leone vehens. In angulis quattuor vasa metallina sive corbes fructibus repletae.

In marginibus: animalia, plantae, aves currus uvis instrumen-

tisque agrestibus repletos trahentes. Talia motiva in arte Romana imagines erant exemplares aestatis autumnique.

Generatim imagines centri, i.e. imagines Bacchi, satyrorum, maenadum, Panis, Sileni, pantherae ad thyasum Dionysiacum pertinentes, imagines autem angulorum marginisque ad officium sive functionem triclinii spectare putantur.

Sunt qui dicant illas imagines thyasum Dionysii repraesentantes ad mysteria Dionysiaca referre mystisque illud conclave conveniendi loco inservisse. Id autem affirmare nullo modo possumus nullis testimoniis talis theoriae exstantibus.

Potius putandum est patronum illius domus virum doctum et eruditum fuisse hospitesque patroni in triclinium intrantes illis imaginibus invitatos esse ad vitae fructum oblectamentumque. ■

(Sequetur)



CARMINA GALLIAMBICA

CECINIT ARITUNEUS MIZUNO, ENARRAVIT THEODORICUS SACRÉ

Melissa nostra, cum a Iapone poeta Arituneo Mizuno carmen accepisset metro Galliambico compositum, professorem Theodoricum Sacré harum rerum peritissimum rogavit ut lectoribus hunc scribendi canendive modum non ita usitatum explicaret:

Gaio suo Theodoricus. De versibus Galliambicis cuiusmodi sint sciscitanti tibi ut satisfaciam paucissima haec respondeo. Versus igitur Galliambicus est bipertitus; constat enim duabus e partibus diversis quae diaeresi inter se numquam non distinguuntur; hinc versus dicitur asynartetus. Prior autem versus pars componitur duobus Ionicis a minore (UU--/UU--), quorum forma, elementis quarto (-) et quinto (U) inter se commutatis, per anaclasis fit UU-U/-U--. Posterius autem hemistichium completur item duobus Ionicis a minore (UU--/UU--), quorum mora ultima sublata fit dimeter Ionicus catalecticus; accedit quod altera syllaba longa in breves II solvitur: UU-UU/UUU. Versum igitur metienti et scandenti forma haec apparebit:

UU-U/-U--//UU-UU/UUU
seu, ut exemplum ponam:

Pätër ecçë / nöstër ardët // mīsērāns gēnūs / hōmīnūm

Alii vero aliter explicant. Nomen ex eo ortum, quod Galli, Cybeles deae sacerdotes, ea metra cepisse dicuntur. Eisdem praeter Maecenatem et Varro-nem usus est Catullus Veronensis, cuius extat notissimum carmen de Atti conditum (LXIII). Nostra autem aetate Catullum est imitatus Valahfridus Stroh, cui nunc adiungitur Mizuno. Ceterum id genus versus propter magnam syllabarum brevium copiam factu non sunt faciles. Bene vale.

HYMNUS IN DOMINI NATALEM

Pater ecce noster ardet miserans genus hominum,
mala quod super malorum cupit addere tumulos:
lacrimat stupore tristis. Dolor ipsius ut humi
posset etiam notari, vir adesse voluerat
Deus optimus Mariae, sacra quae Patre gravida est.
Venit inde vox deorsum: «Cruciatu ego animem
homines, Redemptor adsum, Salvator ego tegam;
licet Aetna sulphuratum necet, at bene valeo.»
Viden ut Dei micet lux? Nos qua beat hodie
Dominus. Piusque Christi calidum sciat animum!



ATTIS ALTER

Furibundus ipse quassus Phrygio decore deae
miserum furoris Attin, noua flebilis, cano.
at hic alius hoc uidetur, quia tempora rapiunt
ueterem feruntque proles aliunde sat alitas.

Acheronte transeundo nihil inde repetere—
nihil Arcadas reuisset, semel hinc quod abierit,
id enim nefas—ualemus; potior neque hominibus
dea nec deus uolabit cito trans tumida uadi.
Acherontis, et nigrantum, tamen aequore uideas
procul a fluente pratum, uiridis quod operiens
sola graminis tapetis tegit umbra nemorea.
aliae loci quid issent tuito Lare comitum
animae, satelles Orci fugientibus oculis
dare noluerat. amamusque, ego nil nisi Therinen
Therineque me magistrum, super herbida thalami,
agimusque duo iocosi. Styga dum super habito,
auide precabar, Orpheus Stygiorum ut itinera
mihi rite nuntiaret, rabidus procul animis
tenebratiuncolorum timidus. ut ea iuuant!
meque opperitur illic patiens mea Therine.
subito tenente cultros modo utraque mihi manu
simul et duabus usus—dolor aufuge—secui
iugulum temere cruentus: cruor euolat in humum.
ita memet interemi, uelut Vrania parens
caneret ibidem inferorum bona, cui similis humi
nil reperiatur odae neque in aethere sonitus.
furor arbitri rapit uim, rationis athanatae:
era caecitate uecors ductat tyrannice
rabiem, misera creandi cupidus necis homines.—

color exierat ocellis, et opaca nigraque Nox
mihi paruerat et umbrae properare: sapere Dis
monuitque 'nitidiorum miserabilior habes
Polyhymniamque Clioque atque Vranida deam
aliasue sex Camenas apud hos colere meos.
tu cupidus ut olor, ales canere animus est tibi.
Styga fuge, uolucer abi, tunc Helicon cito subi.'
heu iam nihil ego lusor, perierat anima fugax!
comes ego simul animarum, specimen simul eboris
imitatione uiui, sine sanguine cor iners
sic, ut ego, pol dolet, ne uolitare quidem alio
iam iam queam, reuerti neque in aëra liquidum.
gemuisse tum putauit mala Pierida mihi:
'itidem alter' inquit 'Attis. Therine, fidibus abes:
ualedic poëticae, fis nihili, bona mulier.'

CECINIT KAL. IAN. A. V. C. MMDCCXLIV

ARITVNEVS MIZVNO

MUSA MUSICES (PARS ALTERA)

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

**4. IOH. AUDOENUS, MUSICA. AD AMICUM SUUM
D.G. JAMES⁵**

Optima Musarum est. Reliquis idcirco negatum
artibus a Musis Musica nomen habet.

**5. IOH. DOM. FUSS, LEODII CIVIBUS GRETRYO SUO
STATUAM CONSECRANTIBUS⁶**

Virtute priscis aemula patribus,
urbs alma, salve, concelebrans diem,
qua celsa gestis consecrare
digna tuo monumenta civi!

Salve, Leodii praecipuum decus,
Gretry, Thaliae gloria, dum lyra
mulcebit aurem, Orphea, Gretry,
vox populos resonans per omnes!

Quem cara parvo sub lare patria
tutata, clarum laeta per exteris
mox vidit oras, en beata
arte sibi rediisse gaudet;

pignus merenti quodque dabas, tua
sacrum reponit cor sub imagine:
tu de supernis cerne gratae,
sancte, choris monumenta matris.

Crescens alumni laude simul sui,
dilecta divis sic caput altius
urbs usque tollat gloriamque
mente tuam reputans iuventus,

nec curet auro, nec titulis patrum
venale nomen: scilicet arduae
aeterna virtuti stat uni
nobilis ingenioque palma.

6. GUALT. HADDON, DE MUSICA⁷

Musicen primum docuit voluptas,
musices auxit studium voluptas,
musices usum retinet voluptas,
gaudia fundens.

Musicen lusit placidus Cupido,
musicen lusit Cytherea mollis,
musicen lusit cithara suavi
clarus Apollo.

Musice mentes tenuit virorum,

musice sensus tenuit ferarum,
musice montes et aquas et ornos
sede removit.

Musice summis dominatur astris,
musice terrae dominatur imae,
musice ponto dominatur alto,
cuncta pererrans.

Musice mentis medicina maestae,
musice multum minuit malorum,
musice magnis, mediis, minutis
maxima mittit.

**7. IUST. RYCVIUS, ORLANDO LASSO BELGAE,
PHONASCO PRAESTANTISSIMO⁸**

Qua mare, qua tellus vicino sidera limbo
arctat et immenso pondere nutat Atlas,
orbem iam totum Orlandini fama tenebat
nominis, aeternis nobilitata sonis.
Abdita queis toties numerosis vallibus Echo
Nereidesque imis accinuere vadis,
Oceanique alte assurgebant dorsa profundi,
Neptunusque vagos sistere fecit equos:
sidera restabant, quae postquam Orlandus adivit,
ducunt perpetuos astra benigna choros,
nec sua Sirenes circum sinuamina ludunt,
nec tetigit dulcem Phoebus Apollo lyram;
ipse deum rector curarum exinde suarum
immemor ad Lassi nil nisi carmen hiat.

**8. IOH. GOTHOF. CYRILLUS (SIVE HERRICHEN),
GOTHOFREDO VOPELIO CANTORI⁹**

Cantibus Amphion scopulos, delphinus Arion,
Odrysia flectat Thrax Acheronta lyra.
Et sua Franciscus (par fabula) bruta, volucres
aereas moveat sollicitetque feras.
Tu summum, collega, potes fidibusque potenter
et fidibus mixta flectere voce Deum.
Fabula de priscis falsa est conficta poetis,
invenit hic de te fabula nostra fidem.

9. VINC. BOURNE, CANTATRICES¹⁰

Qua septem vicos conterminat una columna
consistunt Nymphae Sirenum ex agmine binae;
stramineum capiti tegimen collumque per omne
ingentes electrae orbis; utrique pependit
crustato vestis caeno limoque rigescens
crure usque a medio calcem defluxit ad imum.



Exiguam secum pendentem ex ubere natam
 altera, venales dextra tulit altera chartas.
 His vix dispositis pueri innuptaeque puellae
 accurrunt: sutor primus, cui lorea vitta
 impediit crines, humili, quae proxima stabat,
 proruit e cella, chartas, si forte placerent,
 empturus; namque ille etiam se carmine multo
 oblectat, longos solus quo rite labores
 diminuit fallitque hibernae taedia noctis.
 Collecti murmur sensim increbrescere vulgi
 audit et excurrit nudis ancilla lacertis.
 Incudem follesque et opus fabrile relinquens
 se densae immiscet plebi niger ora pyracton.
 It iuxta, depressum ingens cui mantica tergum
 incurvat, tardo passu; simul ille coronam
 aspectat vulgi, spe carminis arrigit aures
 statque morae patiens, humeris nec pondera
 sentit.

Sic ubi Tartareum regem Rhodopeius Orpheus
 Threiciis studuit fidibus mulcere, laboris
 immemor Aeolides stupuit modulamina plectri
 nec sensit funesti onera incumbentia saxi.
 Saepe interventus raedae crepitantis ab illo
 vicorum aut illo stipantem hinc inde catervam
 dividit; at rursus coeunt ubi transiit illa,
 ut coeunt rursus puppis quas dividit undae.
 Canticulae interea narraverat argumentum
 altera Sirenum, infidi periuria nautae
 deceptamque dolo Nympham: tum flebile carmen
 flebilibus movit numeris, quos altera versu
 alterno exceperit; patulis stant rictibus omnes;
 dextram ille acclinat, laevam ille attentius aurem,
 promissum carmen captare paratus hiatu.
 Longa referre mora est animum qua vicerit arte
 virgineum iuvenis. Iam poscunt undique chartas
 protensae emptorum dextrae, quas illa vel illa
 distribuit cantatque simul; neque ferreus iste
 est usquam auditor, dulcis cui lene Camena
 non adhibet tormentum et furtivum elicit assem.
 Stat medios inter baculoque innititur Irus;
 nec tamen hic loculo parcit, sed prodigus aeris
 emptor adest, solvit pretium carmenque requirit.
 Fors iuxta adstabat vetula iracundior aequo;
 quae loculum ex imo invitum longumque latentem
 depromens vix tandem obolum «Cedo, femina,
 chartam»,
 inquit, «ut aeternum monumentum in pariete
 figam,
 cum Laribus mansurum ipsis, quam credula
 Nymphis
 pectora sint, fraudis quam plena et perfida nautis.»

**10. IOH. ALEX. GAERTNER, MUSICA «PAPAE»
 HAYDN¹¹**

Cantus rusticus urbanitate perfectus,
 cantus iucundus terrae benedictae
 Austriae Imperialis, ubi Deus benignus
 heredibus subridebat antiquitatis invictae.

ADNOTATIONES

(5) Fons: Ioannis Audoeni epigrammatum vol. I: Lib. I-III. Edited with Introd., Notes, Indices by J.R.C. Martyn (Textus Minores, 49) (Lugduni Bataavorum), p. 75 (epigr. 2,216). Iohannes Audoenus sive Owen, ° in Cambria 1560, obiit Londinii 1622, epigrammatista temporum recentiorum longe celeberrimus.

(6) Fons: Revue belge, publiée par l'Association nationale pour l'encouragement et le développement de la littérature en Belgique, 21 (1842), 394; eiusdem carminis versio prior divulgata est iisdem in commentariis, 21 (1842), 168-169. Usi sumus exemplari Bruxellis in Bibliotheca Regia asservato. Ioh. Dom. Fuss, ° in Germania 1782, obiit Leodii 1860; qui cum neolatinitatis defensor erat strenuus, tum poetarum s. XIX qui apud nos florere facile princeps. Andreas E.M. Grétry (Leodii, 1741-1813) musurgus inter Belgas praeclarissimus.

(7) Fons: The Poetry of Walter Haddon. Edited by Ch. J. Lees (Hagae Comitum et Parisiis, 1967), pp. 138-139; quo in opere multa narrantur de poeta, professore, reformatore illo Anglico (1516-1572).

(8) Fons: Iusti Rycquii Parcae, id est epitaphiorum a se conscriptorum libri tres ad illustrissimum (...) Federicum Caesum (...) (Gandavi, 1624), p. 138. Usi sumus exemplari Antverpiae asservato in bibliotheca sociorum a Ruusbroec nuncupatorum. Rycquius poeta idemque professor (° Gandavi 1587) anno 1624 Bononiam devocatus ut doceret anno 1627 naturae praemature cessit. Lassum autem musurgum (Montibus 1532 - Monaci 1594) nemo ignorat; cuius in honorem haud pauca carmina Latina sunt pacta: cf. H. Leuchtman, Orlando di Lasso, I: Sein Leben (...) (Aquis Mattiacis, 1976), pp. 264-296 et I. Bossuyt (ed.), Orlandus Lassus 1532-1594 (Lovanii, 1982), passim. Vopelius autem (1645-1715) musurgus erat et cantor inter Lipsienses praeclarus.

(9) Fons: Io. Gothofr. Cyrilli sive Herrichen poemata Graeca et Latina, in quibus sacra disticha, Sappho, tetrasticha, hexasticha, idyllia, Adonis (...), coll. Aug. Herrichen, ed. Io. Alb. Fabricius (Hammaburgi, 1717), p. 493. Usi sumus exemplari Antverpiae asservato in studiorum universitatis bibliotheca. Cyrillus sive Herrichen Thuringus (1629-1705), vir Graece peritissimus, Lipsiae docebat.

(10) Fons: Poematia Latine partim reddita, partim scripta a V. Bourne (...). Ed. tertia (...) (Londinii, 1743), pp. 131-133. Usi sumus exemplari Lovaniensi. Bournius Vestmonasteriensis (1695-1747) Cantabrigiae docebat; carmina eius Latina cum alia tum hoc favore gaudebant populari.

(11) Fons: Johannes Alexander Gaertner, Vox Humana (Lunenburgiae Vermontensium, 1954), p. III. Gaertner, natione Germanus (° Berolini 1912), multos per annos Eastoniae Pensilvanensium docebat, nunc otio cum dignitate fruitur. De Francisco Ios. Haydn (1732-1809) ne gry quidem.

GABRIEL MATZNEFF, PETRONIUS ALTER

SCRIPSIT GENOVEFA IMMÉ

Ecce textus acroasis Nicaeae inter Ferias Latinas factae mense Augusto praeterito. Quam delectati nonnulli participes cupiverunt ut eius textus in Melissa ederetur. Si quis ergo nescit quis sit scriptor Gabriel Matzneff, legat quae sequuntur.

Coram Latinitatis cultoribus de Gabriele Matzneffio (vernacula lingua Matzneff) tractare haud irrationabile est, nam nemo inter eos scriptores, qui nostra aetate in Francogallia libros edunt, Latinarum rerum amantior mihi videtur.

Antequam argumentum ipsum aggrediar, pauca de eius vita adumbrare velim. Natus est anno millesimo nongentesimo tricesimo sexto Noviliaci ad Sequanam, haud procul a Lutetia Parisiorum, e gente Russica, quae propter publicam eversionem in Francogalliam emigraverat; varia librorum genera scripsit (nam et memorias suas et carmina amatoria et Milesianas narrationes et philosophica opera composuit); quibus in variis generibus unitas haec est, quod in omnibus libris eius vitae experientia manifesta est; haec enim est vis propria, hoc est ingenium eius, quo non rationes frigidas, sed sensus suos incensos lectoribus praebet.

His paucis praedictis, ad argumentum proprium meum venio; quo autem dilucidius id videamus, symbolam meam in tres partes divisura sum: - prima pars erit de Gabriele Matzneff arbitro elegantiae; - secunda de eodem Epicurei, Horatii necnon Stoici Senecae discipulo; - tertia de eodem variis in rebus Latinitatis vivae cultore.

Confirmo illum nunc, similiter atque olim Petronium, «arbitrum elegantiae» aequissime dici posse; quam elegantiam et in corpore et in mente et in moribus pariter colit. Nec semel ipse in hoc elegantiae cultu, quem moderni Anglice nominant «dandysme», similitudinem inter se et Byron... et Latinum Petronium memoravit. Cum enim corporis elegantiam per diaeticam artem exercitationemque curet et sustentet, non solum librum, cui titulus *Diaetetica domini Byron ars* (vulgo: *La diététique de Lord Byron*) scribit, sed etiam in memoria- rum suarum volumine, quod inscribitur *Amores mei dissoluti* (vulgo *Mes amours décomposés*), iocose dicit se alterum Petronium esse assidue vo-

luisse, sed, si corpus paulo crassescat, se timere ne alter Trimalchio fiat!

Elegantia, quam in corpore ipso per severam diaetam servat, in mente et in moribus quoque clare apparet: mens exquisite exculta in officina Minervae concinnitatem puram et venustatem omni affectatione immunem habet. De moribus et vitae agenda modis, verum est dicere eum a matribus valde timeri, quod puellas sine ulla institutorum consuetorum observantia audacter libidino-seque petit. Nostrum vero non est hanc contentionem vel, ut ita dicam, hoc bellum, quod ei cum matribus est, arbitrari; hoc solum nostrum est dicere ne Petronium quidem mores austeros servavisse, sed effrenatas cupidines libere secutum esse; immo hic vitae habitus antiquis moribus, quibus apud paganos natura optima dux existimari solebat, magis congruebat quam nostris, quibus christianae et sociales normae substitutae sunt naturalibus sensibus.

Praeterea similis Petronii in hac quoque re dici potest, quod non solum Veneris voluptatibus, sed etiam equestribus exercitationibus delectatur; immo ut Petronium aequalesque eius multos olim iuvabat currus equosque a carceribus ad calcem cursitantes spectare, sic Gabrielem Matzneff - praesertim illo tempore quo adulescebat - valde iuivit equitare et in multis certaminibus equestribus - quae hippica Graece dicimus - concertare.

Haec vero delectamenta, quae ei et Petronio antiquo elegantiae arbitro communia sunt, multo minora elegantiae documenta videntur quam perfecta eius urbanitas, quae et in scriptis et in vita eius manifesta est. In scriptis, operae pretium est citare locum quendam e lexico eius philosophico, cui titulus *Taurus Phalaridis* (vulgo *Le taureau de Phalaris*), excerptum (p. 69, sub verbo Gallico «courtoisie», quod Latine valet «urbanitas»): «Non quotidie nobis obviam est aliquis, qui cultro ventrem nostrum perfodiat. Nam violentiae, quibus offendimur, subtiliores esse solent. Attamen eadem morum dissolutione participantur.

«Caritas erga proximum non naturalis est, sed, haud secus ac mortuorum resurrectionis fides, supra naturam humanam excedit. Nec fortuitum hoc est, quod Deus ipse eam nos docuit. Sponte nostra, nisi sancti simus (sanctitas vero numquam datur, sed acquiritur), benevolentissimi erga genus humanum non sumus. Sive in caupona, sive in

spectaculi auditorio, sive in ambulacro publico versamur, multimodis contagione enecamur et eam fastidimus.

«Vita socialis tolerari non potest nisi eximia urbanitate sustineatur. Ratio vivendi civilis honestaque usum humanum felicem facit. Quod verbis politiccis sic significatur: nihil aliud, nisi politia civium urbanitas substitui potest custodibus urbanis. Stultorum rusticitas impudentiaque causae sunt quas res publica praetexere potest ad coercionem fingendam iustam. Privatorum barbariae semper respondet publica vis.

«Nostra autem societas etiam etiamque magis in dies barbarorum societas fit. Cum adolecebam, si quis te iactabat, rarissime accidebat ut veniam non peteret. Nunc contra, si quis, postquam te iactavit, furtim susurrat: «Me habe excusatum», haec rara avis facta est. Olim in tabernis et in metropolitana ferrivia homines tibi sponte sua fores retinebant; nunc in vultum tuum eas repellunt. Olim in universitario Lutetiae vico (qui Latinus dicitur) habitare verum gaudium fuit; nunc vita ibi turbatur a rupibus infestis, qui assidue latraturi morsurique videntur. Amicus quidam insomniosus, qui nocte multum ambulat, mihi affirmat Lutetiae Parisiorum iam tibi obviam fieri animantes qui non sint homines; eos extraterrestres esse suspicatur inter nos paulatim irrepentes, quasi quintum gorillarum agmen.

«Stolidus vir qui, in thermis, transitorio instrumento suo ducentorum hominum quietem turbat, et caudices ebrui qui, in caupona, summis vocibus colloquentes nugis suis deformant vesperem convivarum ad mensas propinquas accubantium, et furiosi tabernulas telephonicas vastantes: haec sunt pauca exempla inter innumeras adgressiones, quas patimur, ubi primum cum «similibus nostris» commiscemur. Itaque cum Aloisio II Bavarense consentio, qui, cum fabulam «Lohengrin» inscriptam spectare vellet, theatrum vacuari iubebat atque, e regali suggestu suo, spectaculo aderat... solus.

«Cum pueri eramus, in catechismo didicimus hoc Ecclesiae Patrum adagium: «Deus homo factus est ut homo fiat Deus». Haec sententia, qua resumitur totum christianismi ingenium, splendide nos hortatur ut nosmet superemus. Nunc vero homo ad ludibrium ridet atque divinam scintillam in se splendentem negat. Qua negatione peiorem nullam violentiam contra se homo exercere potest. Ne ergo miremur quod quadrupes fiat: nam Deum mortuum atque hominem a simia ortum esse dicunt; nunc vero in simiam redit.»

Hoc modo concluditur hic Matznevianus locus. Nec vero solum verbis urbanitatem humanitatemque laudat, sed in vita quoque eam colit et exercet. Nec fortasse mellor occasio est, qua haec humanitas clare manifesta sit, quam cum accidat ut ab aliquo homine rustice offendatur. Aliquando, in televisifica emissionem, ut hoc exemplum unum memorem, mulierem quandam vidimus et audimus

contra eum ex improvviso ita furentem ut magis harpyam eam diceres quam mulierem recte educatam; ille vero intrepide et serene et constanter et moderate ei respondit; immo tam magnanimum se praebuit ut paulo post, cum de istius mulieris libro ageretur, ipse locum huius libri urbanissime laudavit. Quis non admiraretur talem aequanimitatem humanitatemque et tantam animi elegantiam? Quam vere «aristocraticam» Graece dicere licet. Nam haec urbanitas non solum est mos per educationem adsumptus, sed etiam optimorum virtus naturalis et innata.

Nobis vero Latinarum litterarum amatoribus non solum propter has causas supra dictas Gabriel Matzneff carus debet esse, sed etiam quia eius animus poetarum philosophorumque antiquorum sapientia altus et quasi nutritus est.

Inter illos antiquos philosophos et Epicureos et Stoicos idem coluit.

Prius igitur de eo Epicureorum aliorum Horatitque discipulo dicam. Quam saepe enim, dum librorum eius paginas evolvimus, modo verba quibus eis alludit, modo versus ipsos Lucretianos Horatianosve in textu Latino citatos invenimus! Sic in primo memoriarum suarum volumine, cui titulus *Flammea illa inducula* (*Cette camisole de flammes*), Lucretianam artem definit «rocaillieuse et âpre beauté», id est «salebrosum asperumque leporem»; sic in eodem libro de clinamine disputat; sic in ultimo memoriarum volumine, c.t. *Amores mei dissoluti* (*Mes amours décomposés*), quodam mane, cum expergefiat, Horatianum librum, quem in cubicularia mensula ad lecti caput habet, evolvit et hanc carminis stropham haud sine laeta admiratione relegit:

*Huc vina et unguenta et nimium breves
flores amoenae ferre tube rosae
dum res et aetas et sororum
fila trium patiuntur atra.*

Quibus lectis sic exclamat: «Quam verum hoc est! Quam pulchre dictum! Et quam firme quoque dictum!»

Etenim apud antiquos Epicureos alios et praeter ceteris Horatium simul artis pulchritudinem et cogitationis vim admiratur. Nec solum memoria eius his versibus, quos lectitare solet, ornata est, sed vita eius ipsa eis alitur. Itaque Gabriel Matzneff vitam eleganter carpere dici potest. Ut autem Horatius ipse, dum hos vitae flores colligit et artem vita fruendi colit, simul melancholia quadam abstinere non potest, cum frustra desideret bona diutius permansura.

Ubi vero moderatione eximia, ad gaudiorum brevitatem et necessaria fata ferenda, uti conatur, difficile est distinguere utrum Epicuream Horatianamque rationem an Stoicorum aliorum Senecaeque sapientiam sequatur. Aequius fortasse est dicere eum suam Matznevianam sapientiam sibi

propriam sequi, quae tamen antiquis doctrinis illis alta est.

Itaque de Gabriele Matzneff Senecae discipulo iam paulum loquar. Ut enim iam diximus Horatiana carmina ad lecti caput eius esse posita, sic idem dicere possumus de Senecae operibus, praesertim de epistulis, quas ad Lucilium scripserat. Ceterum omnes Stoicos manu assidua evolvit: e.g., in lexico philosophico, cui titulus *Taurus Phalaridis* (*Le taureau de Phalaris*), ad verbum «gaudium», Antipatri Tarsensis illius Stoici philosophi exemplum adfert, qui moribundus enumerabat inter vitae suae gaudia quod navigationem naufragio immunem fecerat; tunc Gabriel Matzneff modo proprio Stoicam meditationem illam sic continuat: «*Vita, in qua gaudium constans sit, esse non potest. Vita beata est vita in qua gaudii momenta plura et fortiora fuerunt quam miseriae momenta. Si quo die ab hora decima ad meridiem renium arenis doluisti, dein, ab hora tertia postmeridiana usque ad septimam, puellam dilectam amplexus es, illo die duas miseriae horas, quattuor gaudii horas vixisti. Adde quod adhuc solum de gaudio actuoso ardentique loquor; his autem quattuor horis, quibus fuit voluptas in motu* (haec tria verba: «voluptas in motu» non fuerunt mihi Latine convertenda, quia Gabriel Matzneff ipse ea iam Latine scripserat; iam ad conversionem meam revenio); *his (ergo) quattuor horis, quibus fuit voluptas in motu addendae sunt, ne quid omittatur, horae gaudii quieti: exempli gratia bonus somnus, iucundum convivium cum amicis habitum, ambulatio in Luxemburgensi horto acta: quae, qualis felix Antipatri navigatio, gaudia sunt haud neglegenda, quamquam secundae notae sunt; nam gaudio inflammato adduntur gaudia tranquilla atque denique gaudium quoddam quod praecipue est doloris absentia: voluptas in stabilitate* (haec iterum tria verba auctor ipse Latine scripsit).»

In hoc textu plene apparet quomodo animus eius, scriptis antiquis nutritus, ex his scriptis collectis, ut apes e florum pollinibus, mel suum effecerit. Nam haec certe est sapientia propria, qua exempla meditatur dolorum suorum (renium arenarum) et exempla gaudiorum suorum quoque (puellarum amatarum praesertim, sed etiam amicalium conviviorum et horti Luxemburgensis amoenitatis et aliorum huiusmodi) atque hac experimentorum suorum meditatione semet hortatur; haec vero sapientia similis est sapientiae Stoicorum antiquorum atque ex illo fonte eam confirmavit.

Saepissime enim Senecae aliorumve verba citat et eis semet adiuvat, si quid mali ei accidit: e.g., cum in ius tractus sit ab invidiosis inimicis, in praeclaris illis «libellis nigris», quos in memoriarum libris divulgat, haec notat: «*Cum Marco Aurelio existimo... vel saltem existimare conor quaecumque accidant, ea iuste accidere*». Atque haec addit: «*Ut*

me ad crastinum postmeridianum tempus praepararem, quod tempus asperum erit, relego librum, quem Seneca de constantia sapientis scripsit. Iam in primis paginis Seneca Catonem memorat, cui, toga in medio foro erepta, turbae furentis convicia et sputamenta et contumeliae patiendae sunt. Si ergo Cato ista passus est, ego in septimo decimo iudiciorum auditorio pati possum calumniatorem meum moleste praesentem et patronos eius dolose petulantes et publici accusatoris invidiam et inanitatem iudicum ab accusatoribus publicisque custodibus oppressorum.» Atque hanc meditationem, quam Gallice is scripserat et ego in Latinum vobis converti, sententia illa ipse concludit Latine memorata: «*Sustine et abstine*».

Hac vera familiaritate, quam Gabriel Matzneff cum Epicureis Stoicisque Graecis et praesertim Latinis habet, iam adducor ad tertiam eandemque ultimam partem, qua de eo Latinitatis cultore generatim atque universe loquar. Immo non Latinitatis vetustae cultor nominandus est, sed - quo rectius dicam - amicus antiquorum poetarum et auctorum, quibus tam familiariter utitur in vita quotidiana quam si eis praesentibus et aequalibus obviam esset.

Nam illud antiquarum litterarum studium, quo iam a pueritia, cum apud sodales Societatis Iesu educaretur, imbui coeptus est, theorica frigidave reverentia numquam fuit, qualem saepius - heu! - animadvertimus apud doctores quosdam, qui Graecitatem Latinitatemque mortuam adorant et quasi unguentis condiunt. Ipse istorum doctorum Latinitatis libitinariorum vanitatem iustissime notat, cum in libro c.t. *Ille flammae inducula* (p. 129) haec affirmat: «*Quo magis Roma antiqua me quasi per fascinationem delectat, eo magis doctores, qui eam sibi praepotenter reservare volunt, mihi taedio sunt. Mense Septembri, cum Massiliae versarer, cogitabam illos nautas Italos et Graecos et Arabes, qui per annos continuos in Mari Nostro navigarent, esse, quamvis indocti essent, multo propiores Romanis eorumque vivendi modis quam arrogantes Sorbornenses paedagogos.*»

His ergo verbis Gabriel Matzneff Latinitatem mortuam iuste incusat; sed pro eo, sicut pro nobis, illa Latinitas vivit, illi scriptores antiqui aequales amici habentur, quibuscum colloquium trans saecula habet. Inde fit ut permultos scriptores Latinos in propriis libris passim citet. Nam maxime variae sunt illae amicitiae, nec solum ii Lucretius et Horatius et Seneca, quos iam antea enumeravi quia inter amicos amicissimi eius videntur, sed multi alii hic citandi sunt: amicus enim eius est Cicero, cuius locos libenter adfert, e.g. modo librum de finibus bonorum et malorum inscriptum, modo librum de senectute inscriptum, modo illud clarissimum Scipionis somnium, quod inseruerat in sextum librum, quem de republica

scripserat et per Macrobianam Saturnalia ad nos pervenit; amicus quoque eius est Ennius (cuius fragmenta legit in archaicis textibus ab Alfredo Ernout collectis); amici quoque eius sunt Lucanus et Tacitus et Plinius Maior, et Apuleius, et alii, quos longum est enumerare. Immo tam vividum est id colloquium, quod cum Latinis scriptoribus conserit, ut non solum amicitiae, sed etiam inimicitiae - vel saltem dissensus - inde oriri quoque possint. Nam haud semel in eius libris apparet ei cum Augustino, quem nimis dogmaticum existimat, repugnantiam quandam esse.

Ipse in libro, c.t. *Taurus Phalaridis*, ad verbum Gallicum «actualité» (quod Latine accommodare ausim: «praesentia») multa optima dicit, e quibus nonnulla excerpo. Nam postquam Tacitum memoravit dicentem verum mortuorum sepulchrum et monumentum esse memores vivorum animos, haec commentatur: *«Hoc et de hominibus et de eorum operibus verum est. Quamdiu enim tabula picta vel musicum opus vel liber quidam, quamvis antiqua sint, nos delectare possunt, tamdiu inter nos vivunt et ipsa et eorum inventores. Opere pulchro mors debellatur; opus pulchrum aeternitatis pars est.»* Atque paulo infra sententiam suam his certis exemplis illustrat: *«Unus ex istis horridis sordisque viris inemendabilibus, qui fingunt mentalem vitam solum a Carolo Marx initium cepisse, me in contione sic interpellavit: «Graecos Romanosque ne flocci quidem facimus.» At ego horridos sordidosque viros ne flocci quidem facio, atque malo per hebdomadam solus cum solo Plutarcho permanere quam per unam horam cum istiusmodi homuncione.»*

«Cum aetas nostra istud ridiculum vocabulum «praesentia» invenerit, dicam Lucretium mihi tam praesentem esse quam Baudelaire; et me tam studiose colere Epicurum Senecamque quam Nietzsche et Rozanov; et hoc illove Tibulliano carmine me non minus delectari quam hoc illove Catharinae Pozzi carmine. In librario armario meo, quod pauca continet, quia pauca lego et mea alienis praefero, saecula nullo discrimine coniunguntur. Aequales enim, quos admiror, non quod aequales sunt admiror; eos admiror, quod admiratione digni sunt.»

Nec casus fortuitus mihi, ut liquet, esse videtur quod inter eos scriptores qui nec moderni neque antiqui sunt, sed intermediarii, ille nullum alium saepius vel libentius memorat quam Arthurum Schopenhauer. Bene enim notum est hunc Germanicum philosophum Latina doctrina maxime eruditum et delectatum esse, quippe qui, e.g., et sententias Latinas Graecasque (quas Graecas etiam in Latinam linguam semper convertere solebat) ad textus suos illustrandos attulerit et inter alia scripserit *«eum hominem, qui Latine nesciret, similem esse ei, qui tempestate nebulosa in aliqua regione pulcherrima versaretur et rem proximam solum videre valeret; Latinistae contra horizontem*

late extensum esse, cum per recentia saecula et per medium aevum et per antiquitatem prospiceret.» Quod ergo in ceteris rebus quoque adfinitatem quandam habent Gabriel Matzneff et Arthurus Schopenhauer, hoc non mirabile est. Quae adfinitas et naturae et educationis esse videtur, atque «aristocratica» utique est. Nam quicumque Latinitatis studio aliquando inflammantur, eis erat iam ante omnem doctrinam quaedam flamma innata et naturale ingenium; atque quicumque Latina doctrina politi et eruditi sunt, in eis humanitas augeatur simili quodam modo.

Scriptor autem noster non solum antiquos et eorum adsectatores pro amicis habet praesentibus; sed ipse ita scribit et agit ut Latinitati vivae faveat. Primum exemplum adferam mihi proprium hoc. Cum ego et discipuli mei ausi essemus ei unum exemplar commentarioli nostri «M.A.S.» mittere, donum nostrum, quamvis humile, non contempsit, sed epistulam Latinam a se excogitam et sua manu scriptam nobis respondere dignatus est, et huic benevolenter addidit imaginem suam luce pulcherrime impressam et nobis benigne dicatam, quam in proximo libello possemus edere. Tantum scriptorem tot variis negotiis occupatum de otio suo pretioso abstrahere ut nobis Latinitatem vivam humiliter defendentibus auxilio sit, hoc est comitatis rarissimae, atque facile intellegere potestis quanto gaudio et incitamento hoc fuerit toti adolescentulorum meorum gregi!

Ut in hac parva re, sic in maioribus quoque Gabriel Matzneff demonstravit Latinitatem sibi non esse rem praeteritam, sed rem assidue praesentem. Duo exempla iam adlatura sum.

Anno millesimo nongentesimo undesexagesimo, cum in litteris nondum laboravisset et solum per equestria certamina clarus esset, primum scriptum composuit et edidit, cuius hoc argumentum fuit: *Mors voluntaria apud Romanos* (titulus vernaculus: *Le suicide chez les Romains*). Primas huius opusculi lineas vobis Latine converto: *«Si vera est doctrina buddhica de vitis anterioribus, Romanus equidem sine dubio fui; vel aliqui Stoicus probus priscorum integrorumque morum observans (haec tria verba «prisci integrique mores» ipse Latine scripsit), vel aliqui Cyrenaicus aetatis decidentis, voluptarius et scepticus, qui, syncretistica facilitate magis quam religiosa fide, et Isidem et Mithram, et Bacchum et Iesum Christum venerabar.»*

«Quaecumque ad antiquam Romam pertinent me quasi fascinatione attrahunt. Ubi primum artes vel litteras vel historias eius adeo, cor mihi in pectore vehementer palpitat atque somnia maxime delira in mentem mihi veniunt.»

Omnia sunt legenda; vos ergo ad opusculum Matznevianum ipsum remitto; quod tanti momenti est ut id, postquam iam edidit nudum anno millesimo nongentesimo undesexagesimo, iterum edidit cum aliis commentariis coniunctum anno mil-

lesimo nongentesimo sexagesimo quinto in libro, cui titulus *Provocatio (Le défi)*.

At duo exempla vobis pollicita sum quibus ostenderem Gabrielem Matzneff Latinitatem praesentem colere et vivere. Hoc igitur vobis adfero secundum, quod in altera editione huius eiusdem libri (c.t. *Provocatio*) narravit anno millesimo nongentesimo septuagesimo septimo. Hoc autem exemplum etiam nitidius est quam prius, quia ibi non agitur de scriptis solum, sed etiam de actione et de vita, cum referat quae ipse suis manibus effecerit anno millesimo nongentesimo septuagesimo tertio. Omnem memoriam rerum vobis breviter contraho, suadeo vero ut ipsi, qui saltem Franco-gallice sciatis, Matznevianam relationem legatis. Henricus de Montherlant, antequam semet occideret, testamentum scripserat quo iubebat quendam Barat, heredem suum, atque Gabrielem Matzneff, amicum suum, comburere corpus suum et cineres

inter antiquae Romae rudera dispergere. Hi ergo, ut huic ultimae voluntati oboedirent, Romam cinerum urnam adtulerunt. Partim in Foro Boario, ubi Fortunae Virilis templum exstat, partim in Foro Romano ipso in loco ubi Romulus et Remus a lupa nutriti esse dicuntur, cineres piis manibus disseminant. Talia enim funebria Henricus de Montherlant sibi voluit, ad ea in rem efficienda Gabrielem Matzneff selegit.

Quid plura? His variis exemplis spero vos sensisse quam Latine viveret ille vir, qui omnia contraria in se conciliat: Epicureus et Stoicus, christianus orthodoxus et Romanus paganus, voluptuarius et mysticus; tam varia natura ei est quam Proteo. Parvam solum partem illius multiformis naturae adumbravi: partem, ut liquet, qua dignus est qui Petronius alter et Latinus redivivus appelletur. ■

LECTORES AD NOS SCRIBUNT

DE RE POLITICA

In hoc fasciculo propter materiarum copiam fieri non potuit ut insereremus rubricam politicam professoris Blum, quam lectores nostri solent in Melissa invenire. De his rebus tamen agetur; nam, cum Guilelmus Blum lectores saepe invitavisset ad sententiam proferendam, **Andreas FLOUR** Belga hanc epistolam divulgandam misit:

Andreas Flour Domino Blum s.p.d. Pertinet: MELISSA 39, 17/11/90, p.14: G. BLUM, "Scientia politica; de opinionibus politicis Islamicis".

Exspectare non possum quin tibi indignationem meam ululanti voce nuntiem. "Nobis, scribis, ... nec de suppressione, nec de vi nec de violatione deliberandum est." Suppressio, vis, violatio ipsa essentia sunt religionis Islamicae. Mahometani unum habent principium: trucidare. Non solum adversarios ideologicos, sed etiam et forsitan imprimis personas omnino externas causae Islamicae; non aperto, "bello sancto", sed quasi semper furtive et molliter bombis in aeroplanis civilibus positis.

Nos -christiani aut non -, sed utique progenies christianorum (vel "verbo" christianorum), meminimus inquisitionis et detestabilis barbaraeque absentiae indulgentiae auctoritatum catholicarum sub Philippo II. Recordamur de atrocitatibus tam a catholicis quam a protestantibus perpetratis per bella religionis. Atavi nostri saltem abhinc quingentis annis vixerunt, quod eos non excusat sed, partim, acta eorum explicat.

Talis explicatio ad auroram primi et vigesimi saeculi non tam valet. Num hodie normale esse putas scriptorem capite damnare quia "versus diabolicos" scripsit? Damnatio vere non Ayatollahi insani cuiusdam, sed ipsius auctoritatis Islamicae. Nonne de eis quae in loco Lockerby accederunt recordaris? Quo modo "religionem" defendere audes cuius ipsa natura, cuius sola ratio vis est et odium aliorum?

Cura ut valeas. Dabam Rollario (v. Roeselare in Belgio) a.d. kal. Ian. MCMXCI.

VOTA IN ANNUM NOVUM

Multi lectores ineuntis anni occasione data ad nos scripserunt Melissaeque multa fausta exoptaverunt. Quibus gratias agimus plurimas et singulares; omnia felicia eis invicem toto pectore optamus. Facere autem non possumus quin vota **Volfgangi JENNIGES** divulgemus, pulcherrime scripta:

IUCUNDA NARRATIUNCULA

In Melissae fasciculo 38 dictum est scripta lectorum nobis esse grata; gaudemus quod non pauci lectores ita invitati scripta Latina iam miserunt divulganda. **Iosephus AMADIO** Italus narratiunculam recenter legit quam, cum ei placuisset, a se in Latinum versam vobis proponit:

DE COQUO RUSSICO

Itali quidam iter Russicum facientes, in ferrivia quam dicunt Transsibirianam, cottidie fercula allata, sibi ipsis non grata, relegabant. Tunc apparuit

QUIS HANC CERVESIAM NOVIT?

Angelus RIVALDI Italus, qui multa itinera solet facere, semper res miras invenit narrandas:

Hac aestate, scholis Frisingensibus clausis, fidei equolo ferreo meo dilectissimo (Angelus est birotarius strenuissimus) iter in Bohemoslovachiam et in Germaniam (olim) orientalem feci. Ut veniam ad rem, in urbe Pilsina (v. Pilsen), in atrio ecclesiae principalis, o res mira, descriptionem Latinam ipsius templi periegetibus destinam potui legere. Fortasse liber viatoribus Latinis dicatus, cui titulus

RADIOPHONIA LATINA

Emissiones Latinae in Finnia multiplicantur. Iam locuti sumus de programme Finnico principali, quod in toto terrarum orbe licet auscultare. **Teivas OKSALA** alias emissiones curat, magis regionales:

"Horas Latinas" in radiophonia universitaria Tamperensi quaque altera septimana habeo (iam annum fere et dimidium). Emissiones sane solum in regione urbis Tampere exaudiri possunt. Redactor Seppo Huiku Latinitati et humanitati amicissimus a

VOTUM

*Florilegam laudemus apem: nam sedula nobis,
parvo cara gregi, lauta canistra parat.
Fausta tibi quare canimus; sumptaque corolla
quae Latio semper digna, Melissa, canas.*

coquus periratus dicens: "Quousque tandem italianski abutere patientia nostra?"

Quapropter multo mirati sunt Itali peregrinantes qui coquum Russicum Latinitatem colentem tam longe ab Urbe invenerant.

Hoc in publicum propositum est a folio hebdomadario Italico cui titulus "Familia Christiana", n° 43 a. 1990.

O Cicero! Quanta gloria propter tria quatuorve verba aliquando prolata! (cfr p.2...)

"Vade mecum", a vobis editus, brevi tempore erit necessarius. Utinam.

Alia res: in Italia venundatur cervesia Belgica, nomine Sint Laurent, cuius in pittacis legitur: "Curia episcopalis Osloensis". De quali urbe agitur? Vobis responsum!

Nos nescimus; sed peritiores et academicos interrogavimus qui responderunt nullam curiam Osloensem in Belgica exstare vel exstitisse, quantum sciunt. Quis lectorum plura scit?

me poscit, ut hic usus continuetur. Naturaliter ei morem gessi.

Inter alia tractavi, possetne alsulegia glacialis aut musica Sibeltana aut musica melodramatica Latine describi. Textum, qui hodie etiam in museo alsulegiae Tamperensi conservatur, tibi misi. Si videtur, potes eum publicare pro exemplari.

Quod proxima occasione libentissime faciemus.


LATINE LOQUI...



UBI CONDISCATUR

MELISSAE ITER LATINUM SECUNDUM... ERIT NAVIGATIO!

Post iter aerium Bruxellis-Dalaman, hanc elegantem celocem conscendent participes, qua vecti pulcherrimum antiquae Lyciae litus lustrabunt, ubi maioris momenti situs archaeologicos invisent, qui sunt Xanthos, Patara, Antiphellos et Myra (et basilica Byzantina Sancti Nicolai). Paucae infeliciter sunt diaetae in celoce. Ei qui participare cupiant et plura scire velint ad nos quam citissime scribant.



Haec celox velifera, 23 metra longa, duobus malis praedita, accipit duodecim vectores.

SEMINARIA LATINA

Dr P. Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur duo seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum:

9 - 16 m. Augusti anno 1991, Vestendae (Westende) in BELGICA

Interrogandus est: Gaius LICOPPE, Avenue de Tervueren, 76 - B-1040 Bruxelles. Tel. 02/735 04 08

14 - 20 m. Iulii anno 1991, Morsaci (Morschach) in HELVETIA

Interroganda est: Erica ROTH, Aeschstrasse, 6 - CH-3110 Münsingen. Tel. 031/920823

SEPTIMANA LATINA

4 - 10 m. Augusti anno 1991, Amoeneburgi (Amöneburg) in GERMANIA

Interrogandus est: Robertus MAIER, Dresdener Strasse, 10 - D-6070 Langen. Tel. 06103-71652

FERIAE LATINAE

22 - 29 m. Augusti anno 1991 Nicaeae in FRANCOGALLIA. Schedae inscriptionis petantur a: Clemente DESESSARD, Résidence des Collines, C.9, rue Léo Brun, F-06210 Mandelieu. Tel. 93 49 01 91

BRUXELLIS IN DOMO LATINA

lingua Latina vivo modo docetur omni Lunae die, hora 19-20. Si quis plura scire cupit: tel. 02/735 04 08.